



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CXL. De Difficultate ducendi Victualia ad Castrum Christburg.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## C A P. C X L.

De

*Difficultate ducendi Victualia ad Castrum Christburg.*

V Allatis fratribus de Christburg undique potentiâ hostium, raro absque magno periculo & labore necessaria ipsis duci poterant de Elbingo. Undè accidit tribus Vicibus, quod cum per fluvium Sirgune talia ducerentur, & fratres & famuli rebus & Vitâ sunt privati, de quo tanta fames orta fuit in Castro Christburg, quod nisi (a) Namile quidam Nobilis de Pomesania (b) \*\*\* existens cum adversariis, occultè tamen diligens fidem & fratres, non subvenisset, castrum fuisset hominibus vacuatum, Quod cum Prutheni perciperent, indignati dictum Namile ceperunt, & aquam bullientem in os ejus fuderunt, & medium ad ignem positum affantes quousque semi animis vix posset respirare, & sic eum fratribus transmiserunt, qui infirmus multo tempore supervixit. Tandem iterum prævaluit fames in dicto Castro in tantum, quod fratres necessitate famis coacti, fidelibus suis Pomesanis, qui adhæserunt eis, dixerunt & svaserunt, ut recederent ab eis ad alia loca salvo jure & libertate ipsorum, ut possent sustentari, ne ibidem fame morentur. Unde paucis remanentibus, alii recesserunt. Ecce mira DEI & exuberans gratiâ, quæ fratres istos & alios Christi fideles non solum in isto Castro, verum etiam in tota terra Pruschia misericorditer adimplevit, ut tales defectus quam intolerabiles & humanæ vitæ necessitati omnino contrarios in tantâ patientiâ & mansuetudine tolerarent, quod non sicut tristes, sed quasi semper gaudentes credebant se paradyfi deliciis interesse.

(a) Co-

Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
 Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. Prussiae.

ANIMADVERSIONES.

(A) Codex Thorunienfis legit Namite. Legendum autem esse Samile, docet Interpres Dusburgii Jeroschinus. Idem cognoscimus ex Chron. M. S. Germanico satis antiquo, in formâ, ut vocant, quartâ, Bibl. Elect. Reg. ubi legitur Dilman Samile. Sine dubio enim in antiquiori Codice scriptum fuerat Z, quod Librarius mutavit in N. Ab hoc Samile Genus suum deducit Magnif. atque Nobiliff. Dh. Zamelius Consul Elbingensis Civitatis meritissimus putatque Dilman esse nomen Tilemanni, quod dicto Samile Christiani imposuerunt. Fusius hoc persequitur Fredericus Zamelius Consul Elbingensis, Gothofredi hujus pater, in fasciculo Epigrammatum, cujus inscriptio est: familiae Monumentum ad Liberos. Ibi enim in Carmine ad filios Carissimos sic canit:

*Favit Christicolis nostri cognominis auctor  
 Clamque sua duro tempore fovit ope.  
 Samilen dixere senem, vox signat amatum,  
 Fecerat hæc illi nomina gentis amor  
 Zeta suo Slavi commutant Sigma Pelasgum.  
 Zamilen scribunt haud abeunte sono.  
 Napulen legit hic: Namilen legerat alter,  
 Plus noxæ primo proximus error habet.  
 Annales superant bis qui expressere Samilen,  
 Incautum potuit fallere segnis apex.  
 Fortè & cum rigidi subiissent gesta Naluba  
 Confudit.*

Et post.

*Zamilen repeto: Proniis regnabat in oris  
 Dena & sex passum millia Drusis abest.  
 Surgana obit fines, quæ cum subit aquora Drusi,  
 Doce velut Cancro se meliore probat,  
 Tunc mea barbaricâ gens Nobilitate valebat  
 Curradus Scythicas Praeses agebat opes.  
 Paucis interjectis hæc habet:*

Illo

*Hanno de Sangerhausen VII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.*

*Illo Tustinus pridem satus unica proles*

*Hoc genitus Laurens, hoc Tilemannus erat.*

*Hinc Clemens, Thomasque celer, triplicesque Jacobi*

*Ordine: ab hoc Proavus posteriore meus.*

*Primus hic Elbingam Pronis descendit ab oris.*

In spicilegio quoque Adoræ Poëtica ad liberos suos eandem textit Genealogiam.

- (b) Codex Regiomontanus hoc loco legit, *Tustinu* sed nullo sensu. Codex Elbingensis hæc plane omisit. Codex Thoruniensis habet pater Tustini, & sic etiam in suo Codice legit Beat. Fridericus Zamelius Cos. Elbingensis ut ex Carmine jam jam Citato liquet.

## CAP. CXLI.

*De*

*Fratre Engelkone viro laudabilis*

*Vita de Christburg.*

**H**oc tempore in dicto Castro Christburg fuit frater (a) Engelko natus de Westphalia, vir miræ devotionis & abstinentiæ, totus Deo consecratus, qui propter alia Virtutum opera, hoc insigne habuit in se, quod circa nudam carnem suam lorica ferrea utebatur pro Camisia, & ante mortem suam quatuor tales Loricæ attritas vetustate & rubigine sic consumpsit.

ANIMADVERSIO.

- (a) Engelle/ habet quoddam Chron. Germ. antiquum.

## CAP. CXLII.

*De*

*Bello civitatis Insulæ S. Mariæ, & destructione ejus infra secundam Apostasiam.*

Prü-